

« non obstante bulla Cœnæ Domini? » censuit eam bullam derogasse cap. 6. Unde frustra nonnulli ex recentioribus Theologis hunc articulum in controversiam adducunt, cum habeamus claram determinationem sacræ congregationis. Præterea, cum dubitasset archiepiscopus Florentinus an vigore c. 6, sess. xxiv, posset absolvere quamdam monialem, quæ occulte et ad malum finem fregerat clausuram, non obstante bulla S. Pii V quæ videtur habere locum in casu publico, variatum est sententiis. Nam ex decem cardinalibus tres censuerunt bullam intelligendam esse etiam in occultis; quia illius verba sunt generalia, et est tantum exceptus casus, nisi in mortis articulo, etc., et quia jam declaratum, bullam Cœnæ Domini, quæ prohibet ab aliis absolvi, habere locum etiam in occultis, et quia cum bulla sit confecta post concilium, censetur derogasse concilio. Quatuor censuerunt eam bullam non habere locum in casibus occultis; reliqui autem tres dixerunt agendum cum Sanctissimo, qui declaravit, bullam S. Pii V habere locum etiam in occultis: tamen concessit facultatem archiepiscopo absolvendi illam monialem. Unde postea sac. C. generaliter consulta: « An si monialis alicujus monasterii jurisdictioni regularium subjecti secreto deliquerit in materia clausuræ, in foro conscientiæ absolvi possit vigore ejusdem decreti ab episcopo, cui tanquam delegato in iis, quæ ad clausuram pertinent, auctoritas tributa est decreto, cap. 5, sess. xxv, *De regul.*, stante prædicta bulla S. Pii V, » respondit non posse; et Fagn. sequuntur Matthæucci, *Officialis curiæ*, c. 11, n. 21; Sanctarellus, *Tract. de hæresi*, cap. 5, dub. 1, num. 1, cum aliis per ipsum allegatis, ubi etiam ipse affert decretum sacræ congregationis, quæ censuit, approbante Gregorio XIII, bullam S. Pii V etiam in occultis procedere, et sic tenent alii plures.

(24. Oppositum tamen tenent Navarr., tom. II, l. v, *De sentent. excom.*, consil. 43; Diana, part. vii, tractat. 2, *De potest. episcop.* resol. 20; Sanchez, in *Decalog.*, l. vi, c. 15, n. 76; Suarez, *De censur.*, tom. V, disp. 2, sect. 2, n. 10 et 12, in fine; Bonacina, *De censur.*, disp. 1, quæst. 22, punct. 22, n. 2, ubi late de decreto Tridentino, et *Tract. de clausura*, quæst. 1, punct. 5, n. 1. Thesaurus *De pœnis*, II p., *Prax.*, verb. *Clausuram violans*, cap. 9, verb. *Absolvere*; Tamb., *De jure abbatis.*, disp. 19, quæst. 5, n. 1; Pellizarius, *De monial.*, c. 5, sect. 2, n. 28; Pignat., t. X, consult. 100, n. 25; Monac., p. 1 in *Append. adnotat. ad constit. S. Pii V*, n. 4; Felix Potestas, tom. I, p. iv, num. 3511, Roderic., t. 1, quæst. 24, art. 19; Toletus, in *Summa*, lib. 1, cap. 41, n. 7; Vincentius Candidus, magister sacri Palatii, tom. I, disquisit. 3, art. 28; Donatus, *Prax. rer. regul.*, tom. IV, tract. 5, quæst. 8, n. 9; Lezana, verb. *Clausura*, n. 20, et plurimi alii volentes, quod a dicta excommunicatione, si sit occulta, possit absolvere episcopus vel alius habens ab episcopo facultatem ex concilio

Tridentino, sess. xxiv, c. 6; ubi omnes casus occulti illi conceduntur, quod Tridentinum decretum generaliter de omnibus casibus S. Sedi reservatis etiam post Tridentinum volunt intelligi. Nec, dicunt ipsi, in dict. constitut. S. Pii V incipient. *Decorum et honestati*, sit mentio dicti concilii, nec de illis decretis et declarationibus allatis numero antecedenti constat authentice; tum quia concludunt quod oppositum servat praxis, cum revera episcopi passim absolvant a tali excommunicatione occulta, et ab aliis similibus.

(22. Quod dicitur de episcopis respectu sæcularium, et monialium sibi subjectarum, intelligi etiam debet de prælatis Regularibus respectu suorum subditorum; quia S. Pius V, constitut. incip. *Romani Pontificis*, edita pro prælatis ordinis S. P. Dominici, concessit, ut gaudeant eo privilegio in foro conscientiæ erga subditos, quo gaudent episcopi erga suos, virtute concilii Tridentini, sess. xxiv, cap. 6, quod privilegium loquitur etiam de superioribus localibus. Sic Tamburin., *De jure abbatiss.*, disp. 19, q. 6, n. 2; Roderic., *Qq. regul.*, tom. I, quæst. 61, n. 8; Donat., l. c., n. 10; cum pluribus ibi adductis; Barbosa, in *Concil. Trident.*, ad dict. sess. xxv, cap. 6, cum plurimis aliis ibi citatis, et alii passim.

(23. In foro conscientiæ posse confessarios regulares absolvere a tali excommunicatione, etiamsi sit publica, aut deducta ad forum contentiosum, docent Tamburin., *De jure abbatiss.*, disp. 19, qu. 5, n. 3; Bonac., *De clausura*, quæst. 1, punct. 5, n. 2; Peyrin., in *const. S. Pii V*, pag. 203, n. 41; item, in *const. Julii II*, et t. I *De subdito*, cit. et secutus a Felice Potest., t. I, part. iv, n. 3492; Donat., *Prax. rer. regul.*, t. 1, p. ii, quæst. 34, num. 1, cum Sanchez, Roderic., Alphonso de Leon., et aliis ibi citatis; quia S. Pius V, in cit. const. incip. *Decorum et honestati*, in reservatione dictæ excommunicationis non comprehendit privilegia regularium; regulares autem ex concessione facta a Paulo III venerabili societati Jesu constit. incip. *Cum inter cunctas*, edita 3 Junii 1543, possunt absolvere ab omnibus casibus et censuris reservatis Papæ, exceptis contentis in bulla Cœnæ et exceptis casibus reservatis episcopis ex constit. Clementis X incip. *Superna*, et ex proposit. 12 damnata ab Alexandro VII, et etiam exceptis intra Italiam et extra Urbem, aliis sex dictis Clementinis, ex quo de mandato Clementis VIII fuerint reservati a sacra congr. Episc. et Regular. in declaratione sui decreti editi die 9 Januarii 1601 facta per aliud decretum editum anno immediate sequent. 1602, 26 Nov. Unde, cum Paulus III, in dict. constit. *Cum inter cunctas*, concesserit regularibus facultatem absolvendi a censuris sine ulla restrictione, aut limitatione ad occultas, stat., quod possint absolvere ab ipsis, etiam quando sunt publicæ, et deductæ ad forum contentiosum, quia ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. Cap. *Quia circa* 22, De

privil., et l. *De pretio*, ff. *De publiciana in rem action.* Tum quia, quando Summus Pontifex intendit facultatem absolvendi, vel dispensandi limitare ad censuras occultas, solet exprimere dicendo, « dummodo non sint publicæ, vel deductæ de foro externo, » et hujusmodi, ut est videre in d. cap. 6, sess. xxiv, *De reform.*, et docet Sotus in 4 *Sentent.*, dist. 22, art. 3; Donat., l. c., cum aliis ibi adductis, adeoque in non declarando videtur indulgere. Vide verb. *ABSOLUTIO*, art. 1, a n. 41 ad 47.

(24. A pœnis privationis officiorum et dignitatum et inhabilitatis latis in dict. const. S. Pii V, incip. *Decorum et honestati*, possunt absolvere pro utroque foro, quoad suos subditos, episcopi et prælati regulares, quia tales pœnæ non sunt reservatæ; nam, ut constat legenti verba præcisa bullæ relata supra sub num. 7, reservatio est facta solum pro excommunicatione. Sic Roderic., tom. I, q. 24, art. 17; Felix Potestas, tom. I, part. iv, num. 3494, et alii.

(25. Hic advertendum venit, quod ea quæ diximus supra n. 19, quod a tali excommunicatione violatæ per illicitum egressum clausuræ, seu per cooperationem ad ipsum concedendo licentiam, comitando et recipiendo sic illicite egressas, si sit publica, absolvit solus Summus Pontifex, vel habens ab eo auctoritatem, non pugnant, cum iis, quæ diximus sub verb. *ABSOLUTIO* art. 1, num. 6, ubi conclusimus, quod cum impeditis personaliter adire Pontificem, possunt episcopi directe absolvere pro utroque foro etiam ab omnibus casibus publicis reservatis Papæ a jure, aut ab honore, etiam hæresis, et in bulla Cœnæ contentis, ex cap. *Muliere* 6; cap. *De cætero* 11; cap. *Ea noscitur* 13, et cap. *De monialib.* 33. De sentent. excommun., non pugnant, inquam, siquidem episcopus, in quantum potest absolvere personas perpetuo impeditas, uti sunt moniales, ab omnibus casibus Papæ reservatis, ad quos aliquin ejus facultas non extenditur, comprehenditur sub iis verbis: « Vel habens ab eo auctoritatem, » adductis supra sub n. 19, cum per citata jura episcopus vere habeat a Papa auctoritatem absolvendi personas perpetuo impeditas, uti sunt moniales, ab omnibus casibus papalibus. Et sic respective dicendum est de prælatis regularibus quoad suos subditos, quos possunt absolvere a dictis casibus ex variis Summorum Pontificum constitutionibus, et præcipue ex constit. Sixti IV incip. *Regimini*; Pauli III incip. *Licet debitum*; S. Pii V incip. *Romani Pontificis*, et alia ejusdem incip. *Dum ad congregationem*. Vide d. verb. *ABSOLUTIO*, art. 6 ad 40.

(26. Moniales possunt in aliquibus casibus de monasterio exire absque incurso pœnarum et præcipue in tribus expressis a S. Pio V in dict. constit. incip. *Decorum et honestati*, ibi: « Nisi ex causa magni incendii, vel infirmitatis lepræ, aut epidemiæ. » (27. Nomine *magni incendii* venit incendium, cui succurri non potest absque periculo pereundi moniales, si intra claustra

morentur. Nomine *lepræ* venit infirmitas ita contagiosa, ut si moniales tali morbo infectæ non egrediantur, omnes aliæ cito periculo evidenti similis infectionis subjiciantur. Nomine *epidemiæ* venit infectio pestilentialis malignam qualitatem præ se ferens, quæ facile ad alios diffunditur cum manifesto mortis periculo, non vero morbus popularis de facili sanabilis. Sic doctores communiter.

(28. Moniales possunt licite egredi e monasterio etiam in aliis casibus consimilibus tribus prædictis a S. Pio V expressis; ut quando grave periculum subsit monialibus ratione imminenti belli, inundationis fluminis, ruinæ ædificii, seu alterius gravioris consimilis periculi, nisi exeant, quia licet S. Pius V, in dict. constit. incip. *Decorum et honestati*, utatur dictione *nisi*, quæ videtur excludere omnes alias causas, tamen hæc dicitio non excludit casus similes, et urgentiores, ut in l. *Si mora*, verb. *Duntaxat*, ff. *Solutio matrimonii*, ubi Castrens., n. 9, Jason, n. 5, et alii; et sic tenent passim doctores cum Tamburin., *De jure abbatiss.*, disp. 20, quæsit. 2; Pasqualig. in *Lauret.*, n. 30; Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, part. iii, alleg. 102, a n. 16.

(29. Occurrente aliquo casu, in quo, juxta dicta, licitus est egressus monialium e monasterio, requiritur licentia superioris: concil. Trident., sess. xxv, *De regularibus et monialibus*, cap. 6, ibi: « Nemini sanctimonialium liceat post professionem exire a monasterio etiam ad breve tempus, quocunque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab episcopo approbata. » Et S. Pius V in d. constit. incip. *Decorum et honestati*, ibi: « Quæ tamen infirmitas, præter alios ordinum superiores quibus cura monasteriorum incumberet, etiam per episcopum, seu alium loci ordinarium, etiamsi prædicta monasteria ab episcoporum et ordinariorum jurisdictione exempta esse reperiantur, cognita et expresse in scriptis approbata sit. » (30. Ex quibus, ut vides, in monasteriis subjectis episcopo seu ordinario, requiritur et sufficit licentia solius episcopi aut ordinarii loci; cum ipse respectu illorum monasteriorum sit et episcopus et prælatus religionis. (31. In monasteriis autem exemptis requiritur, ultra licentiam prælati regularis, provincialis scilicet aut generalis juxta cujuscuque ordinis institutum, etiam licentia episcopi seu ordinarii loci. Nomine episcopi, qui approbare causam debet et potest, venit etiam vicarius generalis et capitularis, ut tenent passim doctores cum Tamburin., l. c., quæsit. 5, n. 8; Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, part. iii, allegat. 102, n. 28; Cajetanus de Alexandris, cap. 7, § 9, quæst. 4; Pellizar., l. c., cap. 5, n. 37.

(32. Si in aliquo ex dictis casibus periculum sit in mora, nec ob distantiam possit superior consuli, tunc moniales in tali necessitate, et periculo possunt licite exire, quia urgentissimus similis casus videtur per episcopum exceptus, quia necessitas

non habet legem, et quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum: capit. *Sicut* 11, distinct. 4, De consecrat.; capit. *Omnes* 1, De feriis; capit. *Consilium* 2, De observatione jejunior., cap. *Consuluisti* 3; De celebrat. missar., et cap. *Quod non est* 4, De regul. juris. In qualibet enim dispositione intelligitur excepta necessitas; cap. *Licet* 6, De poeniten. et remiss.; et sic tenent communiter doctores cum Tamburin., *l. c.* n. 4; Zecch., *De reprobic. ecclesiast.*, tit. *De regularib.*, cap. 3, n. 15; Bonacina, *De clausura*, quæst. 1, punct. 8, n. 9, addentes, moniales in tali necessitate egressas teneri, cum primum poterunt, significare superiori suum egressum.

(33. An autem abbatissa cum licentia solius episcopi et superioris regularis, si sit ei subjecta, possit exire de monasterio ad præstandum principi sæculari domino feudi fidelitatis juramentum, quando illud non potest præstare per procuratorem? Tamburin., *l. c.*, num. 5; Sanchez, lib. ix *Moral.*, c. 15, n. 54; Barbosa, lib. i *Juris. eccles. univers.*, cap. 44, n. 70; Pellizar., *De monialib.*, c. 5, sect. 2, num. 63, et alii tenent absolute id posse quia expresse est sic concessum a Bonifacio VIII in c. *Periculoso*, unic. De statu regular., in 6, § *Verum*. Attamen, quia S. Pius V exposit in d. const. incip. *Decori et honestati*, non concedit monialibus posse exire cum facultate superioris, nisi ex causa magni incendii vel infirmitatis lepræ aut epidemiæ; nisi adsit periculum in mora perendi feudum, vel aliud grave damnum incurrendi, petenda videtur licentia a Sede Apostolica vel a sacra congregatione. Unde in Regesto litterarum sacre congregationis Episc. sub die 15 Januarii 1616, fol. 9, habetur sequens decretum: « Al nuncio di Spagna: S. D. N. ejus in Hispaniarum regnis nuntio litteras dari mandavit ut omnes archiepiscopos, episcopos aliosve ordinarios inferiores tam seculares quam regulares monialium monasteria eisdem regnis habentes certiorer, ne absque Sedis Apostolicæ auctoritate monialibus e monasterii septis egrediendi licentias nullatenus concedant minusque easdem de uno ad aliud monasterium (tribus casibus in bulla S. M. Pii V nominatim expressis exceptis) transferant. » Ita apud Monacell., p. 11, tit. 13, formul. 5, n. 16.

(34. Hinc moniales, licet olim possent de licentia ordinariorum, et monasteriorum superiorum transferri ad novum monasterium fundandum, vel etiam reformandum, seu ad officium abbatissatus, seu aliud munus exercendum, tamen hodie quacunquē occasione transferri non possunt amplius de monasterio ad monasterium, sine speciali licentia Sedis Apostolicæ toties quoties obtinenda, neque occasione prioratus, vel alterius officii, quibuscunque in contrarium non obstantibus, ex decreto Pauli V publicato a sacra congreg. Episcop. et Regular. sub die 22 Decembris 1617, et generalibus ordinum procuratoribus intimato, et relato a Nicolio in *Flosculis*, verb. *Monialis*, n. 19,

et ab aliis passim. (35. Nam facultas, quæ olim, sive de jure communi sive ex concilio Tridentino, locorum ordinariis, vel monasteriorum superioribus super hoc competeat, fuit sublata per d. constitutionem S. Pii quæ incipit *Decori et honestati*, ut eadem sacra congreg. declaravit die 30 Maii 1631, apud Nicolium, *loc. cit.*, n. 19.

(36. Moniales ex licentia sacre congregationis egressæ tenentur sub mortali, statim expleta causa egressus, se ad monasterium recipere, ex cap. *Periculoso*, unic., De statu regular., in 6, § *Verum*, et ex constit. S. Pii V incip. *Decori et honestati*, et Gregorii XIII incip. *Deo sacris*. Hoc tamen intelligendum est moraliter, et non metaphysice, adeo ut, si per breve spatium v. g. unius, vel alterius diei ingressum suum in monasterium differrent, non peccarent mortaliter. Tamburin., *De jure abbatiss.*, disput. 20, quæst. 7, n. 2 et 3, cum Sanchez, Victorell., et aliis ibi citatis, Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 102, n. 58, et alii. (37. Si autem finita et expleta causa sui egressus, multo spatio extra monasterium morentur ob malum finem, non solum peccant mortaliter, sed etiam incurrunt excommunicationem. Bonacina, *De clausura*, qu. 4, punc. 4, n. 22; Merola, in *Disp. theol. moral.*, t. I, disp. 1, difficul. 7, n. 498; Barbosa, *l. c.*, n. 58; Castropalaus, tract. 16, disp. 4, p. 9, n. 21; Sanctorus, in *Constitut. Minor.*, cap. 11, statut. 7, qu. 2, et alii.

(38. Moniales cum licentia sacre congregationis egressæ ad curandam infirmitatem, et intra domum privatam inclusa non violat clausuram, si huc et illuc vagetur, quia monialis non tenetur ad clausuram, nisi intra proprium monasterium. Domus autem illa privata non est monasterium. Unde, cum obligatio clausuræ sit odiosa, non debet ampliari, sed restringi, sicque non debet extendi ad loca, quæ proprie non sunt monasterium; arg. cap. *Odia* 15, De regul. juris, in 6; Sanchez, lib. vi *Moral.*, cap. 16, n. 9; Navarr., *Comment. 4 de regular.*, n. 44, not. 4; Victorell., *De orig. et clausur. monial.*, vers. *Monialis professa*; Tamburin., *loc. cit.*, disp. 19, quæst. 4, ad 9; Pellizar., *loc. cit.*, cap. 5, n. 82; Cajetanus de Alexandris, *loc. cit.*, c. 7, § 9, q. 12, et alii. Si tamen in licentia esset præscriptum, ut talis monialis in domo privata servaret clausuram, tunc teneretur ad ipsam, cum licentia esset concessa solum cum tali obligatione. Sic Pellizar., *loc. cit.*; Cajetanus de Alexandris, *loc. cit.*, et alii.

(39. Monialis cum licentia sacre congregationis licite exiens e suo monasterio ad aliud v. g. fundandum, ad curandam infirmitatem in balneis, et hujusmodi, non violat clausuram, nec graviter peccat, si ea occasione a recto itinere viginti, vel viginti-quinque milliariibus deviet ad aliquod sanctuarium colendum, seu ad consanguineos, vel amicos visitandos, quia hoc non fit in fraudem clausuræ. Sanchez, *loc. cit.*, c. 15, n. 61; Bonacina, *De clausura*, quæst. 1, punct. 8, n. 24; Gottierez, lib. 1, cap. 14;

Tamburin., *loc. cit.*, disp. 20, quæst. 7, n. 4; Pellizar., *loc. cit.*, cap. 5, n. 55; Castropalaus, tract. 16, disp. 4, part. ix, n. 19; Roderic., tom. 1, quæst. 47, art. 11, et alii.

(40. An monialis legitime egressa e suo monasterio, et transiens ad aliud, seu ad balnea, si in via accedat ad locum, in quo existit monialium monasterium, possit ibi hospitio recipi? variant doctores. Sanchez enim, lib. vi *Moral.*, cap. 16, n. 10; Peyrin., tom. II *Privil. constit.* 6 S. Pii V, num. 28; Tamburin., *De jure abbatissar.*, disput. 24, quæst. 15, a n. 1; Pellizar., *loc. cit.*, cap. 5, num. 107; Donat., *Prax. rer. regular.*, tom. IV, qu. 14, et alii respondent cum distinctione: Aut ista monialis petit admitti intra monasterium ejusdem ordinis, et habitus, et sic excipi potest absque alia licentia superioris, non solum causa hospitii, sed etiam in casu, quo illa degeret in aliqua domo privata ad recuperandam sanitatem, et vellet ingredi monasterium, gratia recreationis et hujusmodi, quia talis monialis non est extranea, cum sit ejusdem ordinis, ac habitus, adeoque non cadit in illam prohibitio ingrediendi monasteria monialium, quæ comprehendit solum extraneos; vel monialis petit admitti in monasterium diversi ordinis et habitus, et tunc, si ibi non adsit monasterium proprii ordinis, potest in ipso admitti de licentia tamen superioris illius monasterii, et non aliter, quia religiosa charitas, quæ religiosis personis maxime convenit, et honestas status monialis exigit, ut ibi in hospitio recipiatur. Secus autem si divertere vellet in dictum monasterium diversi ordinis, non causa necessarii hospitii, sed gratia recreationis, aut invisendi monialem consanguineam aut amicam, quia tunc nequit ibi excipi, ne quidem de licentia superioris, quia monialis itinerans respectu talis monasterii est vere extranea, adeoque ex hac sola causa non potest in illud admitti, sicuti nec potest admitti quæcunque alia persona extranea.

(41. Castropalaus autem, part. iii, disp. 4, p. 10, n. 4; D. Cajetanus de Alexandris, *loc. cit.*, cap. 7, § 7, qu. 8, et alii negant absolute posse talem monialem admitti in monasterium, sive sit ejusdem ordinis, sive diversi, quia unum monasterium non communicat cum alio in clausura, quod, ut dicit citatus Cajetanus, est de mente sacre congregationis, quæ consulta, an moniales advenæ essent admittendæ intra clausuram? respondit negative in *Pistorien.* 16 Junii 1585, quam forte declarationem non observant doctores primæ sententiæ.

(42. Ingressus in monasteria monialium absque justa causa, et legitima facultate est absolute prohibitus omnibus omnino personis a Bonifacio VIII in cap. *Periculoso* unic., De statu regul., in 5, sed sub nulla censura. (43. Item a concilio Tridentino, sess. xxv, *De regularib. et monialib.*, cap. 5, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, sed nemini reservata, ut apparet ex textu, ibi: « Ingredi autem septa monasterii nemini liceat cujuscunque generis

aut conditionis, sexus vel ætatis, sine episcopi vel superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda. » (44. Deinde S. Pius V idem, quod statuit concilium Trid. jussit observari in sua constitutione incip. *Circa pastoralis officii*. (45. Gregorius autem XIII constituit. incipient. *Ubi gratiæ*, idem statuit sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, et Papæ reservata contra præsumentes ingredi monasteria monialium prætextu facultatum a Summo Pontifice, vel a legatis seu ab aliis concessarum, revocando omnes, et quascunque licentias a quibusdam concessas ingrediendi monasteria monialium; et præter excommunicationem ipso facto incurrendam, et Summo Pontifici reservatam, imposuit etiam pro abbatibus, et abbatissis, aliisque monasteriorum utriusque sexus superioribus et personis, privationem dignitatum, beneficiorum et officiorum, et inhabilitatem ad illa in posterum obtinenda. (46. Item Paulus V constitutione incip. *Monialium statui*, inhærendo litteris dicti Gregorii XIII sui prædecessoris, revocavit omnes licentias ab ipso, et aliis Pontificibus concessas mulieribus cujuscunque status, ac conditionis quoad ingrediendum monasteria monialium, aut conversandum cum ipsis; et præterea prohibuit abbatissis, seu priorissis, ac superioribus, ne dictas mulieres introducere seu admittere, vel admissas quocummodo retinere audeant seu præsumant; idque sub pœna excommunicationis majoris reservatæ Summo Pontifici, et sub omnibus aliis pœnis contentis in cit. constitutione Gregorii XIII. (47. Et de mandato Clementis VIII, sacra congreg. Episc. et Regul. 26 Novemb. 1602, sub pœna excommunicationis majoris Papæ omnimode reservatæ intra Italiam et extra Urbem, omnibus prohibuit ingressum in monasteria monialium ad malum finem.

(48. Excommunicatio lata a concilio Tridentino incurritur, etiamsi ingressus non sit ad malum finem, nec prætextu licentiarum; at nulli est reservata, cum a concilio, *loco citato*, nulla sit reservationis mentio; unde potest absolvi a confessario approbato ab ordinario loci, ut docent Donat., tom. IV *Prax. rerum regul.* tract. 5, q. 4, n. 3; Tamburin., *De jure abbatissar.*, disp. 22, quæst. 1, n. 3; Roderic., tom. III, *Qq. regular.*, q. 47, art. 2, et alii passim.

(49. Excommunicatio lata a Gregorio XIII et Paulo V est Papæ reservata, et incurritur, etiamsi ingressus non sit ad malum finem, ut omnes concedunt, et etiamsi non sit ex prætextu licentiarum, ut tanquam in praxi tutius et verius tenent Navarr., comment. 4 *De regular.*, sub num. 624, et in *Manuali*, cap. 27, De censuris, sub n. 150, verb. *Adde his primo*; Quaranta, in *Summa bullar.*, verb. *Monasteria monialium*, in calce constituit. Gregorii XIII incip. *Ubi gratiæ*; Beja in suis *Responsionibus*, t. p., cas. 30, verb. *Hæc omnia*, ubi docet de praxi totius Italiæ; Villagut., *Tract. de usuris*, q. 33, n. ultim., ubi testatur sic responsum

fuisse ab ipsomet Gregor. XIII consulto a S. Carolo Borromeo, Flavius Cherubin., in *Compend. bullar.*, tom. II, schol. 1, ad constitut. Gregorii XIII incip. *Ubi gratia*, ubi testatur de praxi penitentiariae, Donat., tom. IV, *Prax. rer. regular.*, tractat. 1, quæst. 2, a n. 6, ubi ex aliis testatur Gregorium XIII declarasse, suam mentem fuisse comprehendere quoscunque ingredientes, et admittentes, sicut fecit S. Pius V, constit. incip. *Regularium*, respectu mulierum quarumque ingredientium conventus regularium, ibi: « Declaramus fuisse, et esse mentem et intentionem nostram, quod prædictæ litteræ non solum comprehenderent, et comprehendant mulieres, habentes et prætendentes facultatem et indulta ingrediendi monasteria, sed etiam omnes, et quascunque mulieres alias, tam in specie, quam in genere. » Unde P. Suarez, tom. IV *De relig.*, lib. I, cap. 7 n. 9, retractans quæ dixerat disp. 22, *De censuris*, sect. 6, n. 11, mutavit sententiam; et sic tenent Azorius, Roderic., Zecchius, Graffius, Comitulus, Filhiucius, Peyrinus, Merola, Thesaurus, Homobonus, Raynerius, Riccius, Megala, Coriolanus, et alii relati a Donat., *loc. cit.*, contra Sanchez, Sayrum, Mirandam, Barbosam, Dianam, Zerolam, Portellum, Tamburinum, Pellizarium relatos ab ipso Donato, *loc. cit.*, n. 2; Felicem Potestat., tom. 1, p. IV, n. 3489, et alios plures volentes talem excommunicationem non incurri, nisi egressus fiat sub prætextu licentiarum.

(50. Quis autem possit absolvere a dicta excommunicatione, aliisque pœnis latis a Gregorio XIII et Paulo V in dictis constitutionibus? *Vide supra*, a n. 19 ad 25.

(51. Excommunicatio lata a Clemente VIII per decretum de anno 1602, 26 Novemb. incurritur ab omnibus violentibus clausuram monialium ad malum finem, ut patet ex verbis præcisus decreti, ibi: « Violationis clausuræ monialium ad malum finem. »

(52. Et hæc excommunicatio est reservata Romano Pontifici extra Urbem, et intra Italiam; unde ab ipsa non possunt extra Urbem, et intra Italiam absolvere regulares, non obstantibus suis privilegiis, ut expresse fuit statutum de mandato Clementis VIII, a sacr. congreg. Episcop. et Regular. in decreto de anno 1602, 26 Novembris. *Vide verb. ABSOLUTIO* a n. 43 ad 47.

(53. Imperatores, imperatrices, reges et reginæ, eorum filii et filia possunt absque incurso excommunicationis, aliarumque pœnarum ingredi cum sua decenti comitiva in monasteria monialium, quia hujusmodi personæ, ratione excellentiæ et dignitatis, non comprehenduntur in dispositionibus odiosis, nisi exprimentur; Sanchez, lib. VI *Moral.*, c. 16, n. 3, c. 17, n. 5; Suarez, t. IV *De religion.*, lib. I, c. 7, n. 5, in fine; Emmanuel Rodriq., t. I, quæst. 47, artic. 1; Joannes Crucius, in *Epitom.*, lib. I, c. 5, dub. 1, conclus. 1, in fine; Tamburin., *De jure abbatissar.*, disp. 24, quæst. 20; Gibanin., *De sanctimonialib.*, disquis. 1, c. 4, § 2, conclus. 1, n. 2; Donat., t. IV *Prax. rerum.*

regular., tract. 5, quæst. 12; Bordon., *Variar. resolut.*, part. II, resol. 26, n. 35; Cajetanus de Alexandris, in *Confessario monial.*, c. 7, § 7, et alii passim cum praxi universali; Barbosa tamen in *Tridentin.*, sess. xxv, *De regular. et monial.*, cap. 5, n. 47; Bonacina, *De clausura*, quæst. 4, punct. 1, n. 4, tenent probabiliter contrarium. *Vide novissimam dispositionem Benedicti XIV allatam infra sub. n. 98.*

(54. An autem possint etiam dicta monasteria ingredi ducissæ, aliæque principissæ, duces, et principes suprema jurisdictione et auctoritate gaudentes? Negant passim doctores, quia S. Pius V, const. incip. *Regularium personarum*; Gregorius XIII, constit. incip. *Ubi gratia*; Paulus V, constit. incip. *Monialium statui*, expresse interdixerunt talem ingressum, « etiam comitissis, marchionissis et ducissis; » attamen etiam de istis videtur praxis contraria. *Vide d. dispositionem sub n. 98.*

(55. An item dicta monasteria possint ingredi fundatrices et fundatores? Negant passim doctores, et ita fuisse decisum a sacra congreg. Concilii, refert Aldan. in *Compend. canonic. resolut.*, lib. I, tit. 8, n. 12; Barbosa, in *Summa Apostolic. decis.*, verb. *Monialium clausura circa ingressum*, n. 7, et Donat., t. IV *Prax. rer. regular.*, tract. 5, quæst. 13, n. 7, præcisus his verbis: « Monialium monasteria ingredi deinceps non permittitur mulieribus sæcularibus, ne quidem fundatricibus, aut dominatricibus ad breve vel ad longum tempus, etiamsi a Sede Apostolica hoc eis specialiter esset indultum; cum Pauli V, constitutione de anno 1612, edita id fuerit in genere revocatum. » Et Nicolius in *Flosculis*, verb. *Fundator*, sic refert: « Sacra congregatio, etc., censuit, fundatores monasteriorum monialium non posse earumdem clausuram ingredi, et a monialibus recipi, nisi in litteris Apostolicis erectionis secus expresse caveatur. » Eadem sacra congreg. in *una Regularium* 17 Augusti 1639. *Vide verb. CONVENTUS*, art. 3, a n. 17 ad 22, et dictam dispositionem infra n. 98.

(56. Mulieres, quibus a Sede Apostolica conceditur licentia ingrediendi monasteria monialium, non possunt ingredi, nisi prius habito consensu monialium capitulariter præstito per suffragia secreta: Urban. VIII, constit. incip. *Sacrosanctum apostolatus ministerium*. (57. Consensus autem sufficit, quod sit capitulariter præstitus a majori parte monialium; cap. 1, *De his quæ fiunt, a majori parte capit.*, cum similibus: cum enim Pontifex non determinet, an consensus sit præstandus ab omnibus monialibus, censendum est voluisse istud relinquere dispositioni Juris communis; l. *Commodissime*, ff. *De lib. et posthum.*

(58. Pueri, et puellæ cujuscunque sint ætatis, nequeunt ingredi, et introduci in monasteria monialium: concil. Trident., sess. xxv, *De regularib. et monialib.*, cap. 5, ibi: « Ingressi autem septa monasterii nemini liceat, cujuscunque generis, aut

conditionis, sexus, vel ætatis fuerint; » Et sæpe sæpius declaravit sacra congreg. Episcop. et Regular. quod introducens infantes cujuscunque sexus, vel ætatis incurrit censuras violatæ clausuræ, et signanter in *Tudertina* 7 April. 1579; in *Neapolit.* 22 Mart. 1580; in *Cremonen.* 12 Februar. 1585; in *Taurinen.* 10 Jun. 1630. Unde tolerari non debet, quod puellæ, licet parvulæ, ingrediantur, et egrediantur ad libitum. Eadem sacra congreg. in *Pistorien.* 24 Februar. 1579, et abbatissa, quæ hoc permittit, privatur officio, voceque passiva. Eadem sacra congreg. Episcop. in *S. Sever.* 8 Maii 1595.

(59. Nomine monialium introducentium, vel admittentium in clausuram personas non habentes ad id legitimam facultatem veniunt omnes active influentes in talem ingressum, ut sunt invitantes, consulentes, hortantes, approbantes, monstrantes iter, auferentes impedimenta, januam aperientes, eas recipientes, concedentes, et auctoritative, sive ratione sui officii permittentes, ut intrent. *Vide verb. CONVENTUS*, art. 3, a n. 30 ad 32.

(60. Cardinales, aut episcopi, sive alii prælati ingredi non possunt monasteria monialium, quæ eorum jurisdictioni non subsunt, ut colligitur ex cap. *Periculoso*, unic., *De statu regular.* in 6, ex concilio Tridentino, sess. xxv, *De regular. et monialib.*, cap. 5, ex constitutione S. Pii V incip. *Circa pastoralis officii*, constitut. Gregor. XIII, incip. *Ubi gratia*, et alia ejusdem incip. *Dubiis*, et tenet Tamburin., *De monialib.*, disp. 24, quæst. 9, n. 1; Donat., t. IV *Prax. rer. regular.*, quæst. 24; Cajetanus de Alexandris, in *Confessario monial.*, cap. 7, § 4, q. 3, et alii passim.

(61. Neque cardinales legati habent potestatem visitandi moniales, et ingrediendi clausuram. Sacr. congreg. Episcop. et Regular. in *Bononien.* 30 Septembr. 1630, approbante Innocentio X. (62. Et a fortiori neque vice legatus potest clausuram ingredi sine episcopi licentia, ut declaravit sacra congreg. Episc. 8 Mart. 1605, apud Gavant., in *Manual. episc.*, verb. *Monialium clausura*, n. 29. (63. Neque inquisitores, nisi ex causa S. Officii, ut declaravit congreg. S. Officii 16 Februar. 1628 apud Cajetanum de Alexandris, *loc. cit.*, quæst. 3. (64. Neque magistratus, et deputati ad curam monialium debent ingredi cum episcopo, nisi eos elegerit. sacr. congreg. Episcop. et Regular. apud Gavant., *loc. cit.*, n. 30. (65. Neque permittitur debet episcopus deputari a civitatibus aliquos, qui comitentur visitatores monialium regularibus etiam subjectarum, prout decrevit eadem sacra congregatio Episcop. 22 Januar. 1616, apud Gavant., l. c., n. 62.

(66. Prælati omnes sæculares episcopali, ac etiam cardinalatus dignitate præditi nequeunt ingredi clausuram monialium etiam sibi subjectarum, nisi in casibus necessariis, et comitati a paucis, iisque senioribus, ac religiosis personis. Sic expresse statuit Gregorius XIII, constit. incip. *Dubiis*. (67. Si

autem contrafecerint, incurunt interdictum ab ingressu ecclesiæ pro prima vice, pro secunda vero contrahunt suspensionem a pontificali munere, et a divinis, pro tertia autem vice, ac deinceps, excommunicatione majori ipso facto afficiuntur; sic expresse Gregorius XIII in d. constitut. incip. *Dubiis*.

(68. Unde non possunt episcopi secum ducere in clausuram illos laicos tanquam comites et socios. *Vide verb. Episcopus*, art. 6, n. 99. (69. Adducitur, et solvitur instantia. *Vide ib.*, n. 100. (70. Propter necessitatem tamen, et ad promovendam utilitatem monasterii possunt episcopi secum ducere aliquos peritos laicos. *Vide ib.*, n. 101. (71. Non possunt tamen episcopi secum ducere in clausuram plusquam octo personas, alias incurunt prædictas censuras. *Vide ibid.*, n. 102 et seq. (72. Absolutio tamen ab istis censuris non est Papæ reservata. *Vide ibid.*, n. 105.

(73. Prælati regulares ingredientes extra necessitatem monasteria monialium sibi subjectarum ligantur dicta excommunicatione majori, et privantur omnibus officiis et dignitatibus. Gregorius XIII in d. constit. incip. *Dubiis*. (74. Nec possunt prælati regulares ordinarie ingredi monasteria monialium: « Nisi ex causa visitationis localis, et hoc semel tantum in anno; ita ut in eo anno, in quo unus ex memoratis superioribus visitavit, alius superior a visitatione hujusmodi se omnino absteat.... Visitet autem superior regularis interiorem clausuram per se ipsum, non autem per alium, etiamsi fuerit legitime impeditus, quo casu differatur visitatio in aliud tempus, quo cessaverit impedimentum, et visitationem celeriter, et unica die, debita tamen cum diligentia absolvat, nec ante ortum solis eam incipiat, nec post occasum protrahat.... Visitatio vero personarum fiat ad crates, et omnino extra clausuram monasterii, et per ipsummet et superiorem duntaxat, ut supra dictum est de visitatione interioris clausuræ. » Sic expresse statuit Alexander VII, constitut. incip. *Felici sacrarum virginum statui*. Ex quibus dictæ constitutionis verbis clare patet, non posse superiores regulares delegare alios ad visitationem monialium, sed ipsam posse solum peragere per se ipsos. Et idem addendum est ad dicta sub verb. *PRÆLATUS REGULARIS*, n. 39. (75. Prælati regulares, si fuerit generalis, potest secum introducere duos socios sui ordinis: si fuerit alius a generali, potest introducere secum tantum unum socium sui ordinis, exclusis omnibus aliis, etiam ratione officii. Alexander VII, in cit. constitut. incip. *Felici*. (76. Nec ipse visitator, neque ejus socii possunt sumere intra clausuram ullam refectionem. Alexander VII, *ibidem*. (77. Si ob clausuram, aut aliam urgentem, et necessariam causam oportuerit superiorem regularem eodem anno pluries ingredi septa monasterii, tunc non aliter ingredi potest, quam cum presentia episcopi diocesani, vel alterius personæ ecclesiasticæ sæcularis, boni exempli